



**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
proprietarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput XI. Idem (a) Archiepiscopis, & Episcopis, & universis aliis
Ecclesiarum Prælatis, & Clericis per Franciam Constitutis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-74526)

C A P U T XI.

Idem (a) Archiepiscopis, Episcopis, universis aliis Ecclesiarum Prælatis,
Clericis per Franciam Constitutis.

CUM creatura non habeat quid pro meritis respondeat Creatori, sanè accepimus, sed minimè acceptamus, quod in partibus vestris multiplicatis anniversariis defunctorum, ex quibus ea celebrantibus commodum obvenient tempore, quidam in Cathedralibus, & conventionalibus Ecclesiis, prætextu Missæ semel in die pro anniversario celebrandæ, sacra Missarum solennia, quæ ratione diei, vel festi solent solennius celebrari, culpabili negligentiâ prætermitunt, quasi non sint obligati Domino, & quasi Dominus forte pro tantiis obsequiis non sufficeret eis æqua vicissitudine respondere. Certè verendum est, ne qui tanta cum nequitia & negligential laborare noscuntur, in obstinata malitia prolabentes, et si non voce, quod est gravius, facto dicant: Quis est Dominus, ut serviamus ei? Cùm ergo Ecclesia Gallicana per Dei gratiam tanquam lucerna super candelabrum positalucentalis per exemplum, qui videntes opera ejus bona glorificant Patrem cœlestem, ne, quod absit, tantæ negligentiæ tenebris obumbretur, & alias consequenter obumbret, universitatem vestram rogandam duximus, & monemus per Apost. scripta v. m. quatenus universi, & singuli providè attendentes, quod servire Deo regnare est, nullum in vos torporem negligentiæ obrepere permittatis, quominus & pro anniversariis defunctorum, & pro (b) festo, vel feria, secundum temporum congruentiam Missatum (c) solemnia & conventionaliter celebratis, & faciatis conventionaliter celebrari, ut sic quodammodo sine intermissione orantes, ab eo mereamini exaudiri, qui adest omnibus in veritate invocantibus nomen suum.

N O T A E.

I. (a) *Archiepiscopis.*] Ita restituo inscriptio-
nem, & litteram hujus textus ex quinta
compil. Honorii III. edita à Cironio sub hoc
tit. cap. 2. ubi reperitur hic textus, & ejus integ-
ram transcripsit ipse Cironius in append. ad ipsam compilationem.

(b) *Pro festo.*] Separatim lege, ut supra in re-
latione; alias idem est dies profestus, ac feria,
juxta notata supra in cap. 4.

(c) *Missarum solemnia.*] Quia Missa con-
ventionalis non potest omitti, et si dicatur alia, ut
pluribus facta Congreg. decisionibus probant
Barbosa in *Summa Apostolic. collect.* 477, Zypeus
ad hunc tit. consult. 1.

2.

3.

C A P U T XII.

Idem *Archiepiscopo* (a) *Sipontino.*

TE referente didicimus, quod in die cœnæ Domini de antiqua teneris consuetudine chrisma (b) confidere in Ecclesia Sipontina: sed cùm mane diei ejusdem ad Garganicam (c) accedas Ecclesiam, ut ibi, prout moris est, recipias peregrinos, (d) ipsius loci Clerus, & populus celebrare Missam in eadem Ecclesia Garganica priùs, quam ad Sipontinam redreas, te compellunt. Super quo nostrum, & Apostolicæ Sedis consilium implorasti. Cùm autem chrisma eo die intra Missarum conficiatur solennia, & cuilibet sacerdoti, quacunque dignitate præfulgear, unam in die celebrare Missam sufficiat, nam & felix valde est qui celebrat dignè unam: f. t. m. quatenus die prædicto in Ecclesia Sipontina dumtaxat, in qua teneris chrisma (e) confidere, Missarum studeas solennia celebrare.

N O T A E.

I. (a) *Sipontino.*] Ita etiam legitur in quinta compilatione, sub hoc tit. cap. 4. Sipontium est civitas Archiepiscopalitatis regni Neapolitani, de qua Plinius lib. 3. cap. 11. A Sarracenis deleta fuit, & Cathedra translata fuit in Manfredoniam, ut notavit Cironius in præsenti.

(b) *Chrisma confidere.*] Chrisma enim, quod est materia remota sacramenti Confirmationis, debet confidari ab Episcopo feriâ quintâ hebdomadæ sanctæ, ut constat ex epistola 2. Fabiani ad omnes Orientales Episcopos, qui cum veterem Chrismatis eo die confecrandi consuetudinem ab aliquibus Episcopis negligenter omitti, multorum litteris accepisset, ut graviter parerat, molestè

2.

molestè